



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis**

**Dietrich <von Engelsheim>**

**Münster, [1893-1897]**

61. Litera veritate carens, missa consilio Basiliensi per dominum Coloniensem, ut pro se et sua incorporacione obtenta inducat et sibi alliciat consilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Dan de korte dat capitel konde neynen openbaren bestant<sup>1)</sup> krigen noch van manscop eff van steden to einen anderen biscope umme verderfflikes vrochten willen, sodat alle scriff, raet unde arveit darto horende wort affgeslagen.

Bergl. Schaten Ann. Pad. zum Jahre 1434.

61.  
(1434)<sup>2)</sup>  
5. Mai.

Reverendissimis reverendisq[ue] patribus et venerabilibus dominis in sacrosancta Basiliensi synodo congregatis, dominis et amicis precarissimis.

Sacrosancte Basiliensi synodo in Spiritu sancto legitime congregate, universalem ecclesiam representanti Theodericus, Dei gracia archiepiscopus Coloniensis, sacri imperii princeps elector et per Ytaliam archicancellarius, Westphalie et Angarie dux, apostolice sedis legatus, reverenciam debitam et devotam.

Dudum, reverendissimi reverendique patres, propter diuturnos guerrarum turbines, quos intestina clade obite a longa etate ecclesia Padeburnensis pertulerat, cum desperatis rebus illi undique presidia defecissent ac crudeli congressu decertaret cum antistite clerus, laicale vero vulgus voto diverso dispersum hincinde faveret, perniciose adeo terre et diocesi illi plaga accrevit, quod invasa sedicione intranea tellus eciam ab exteris pro libito vastaretur. Unde mutuis iaculis membrorum et capitis universa corporis armonia tabescens, adeo sterneretur, ut pene careret incolis patria, et incendiorum voragine domiciliis ea tempestate non solum civilibus et suburbanis sed nec sacris edibus parceretur. Nichil enim, reverendissimi reverendique patres, contuentibus

<sup>1)</sup> Beistand. <sup>2)</sup> das fehlende Jahresdatum ist nach Schaten ergänzt.



patriam occurrebat, quam deserto et . . .<sup>1)</sup> ruinarum vestigia, vepres et arva latissima cultura omni orbata, videbebantur enim sompno quodam vastissimam Troyam aut Babilonis reliquias in ipsis cineribus prospectare.

Cum vero capitulum predictum Paderbornense longo certamine contra presulem fessum fortunam meliorem timeret, qui magnificum ducem Montensem fratrem et inclitos multos favoribus attraxerat opportunis, quamvis penitudine<sup>2)</sup> sera finale sibi et patrie excidium metuens, crescente illi dietim calamitatum procella, ad me et Coloniensem ecclesiam veluti, prout tunc fatebatur, ad fiducie anchoram suppliciter recurrebat, patrie me tutorem contra domesticos hostes instantissime postulando. Verum licet eo tempore gravibus emulis et guerris Coloniensis ecclesia vexaretur, nec commode rebus propriis intentus alienis poteram ociari,<sup>3)</sup> diuturna repulsa ipsorum instancias repellebam, ut tandem, cum nichil inviolatum rapinis adesset, quod raptoribus et hostibus externis et intraneis in spolium occurrere posset, coacti penuria et fame armati et proceres loca mee diocesis eis vicina rapinarum incursibus molestabant. Unde ratus, fore utilius, vicinam patriam protegere, quietam et pacificam facere, quam inimicam sufferre aut exterminio<sup>4)</sup> dare, et metuens, ne fervore guerre lassati in magnificum ducem Montensem, fratrem electi eorum, michi tunc et Coloniensi ecclesie adversantem intenderent, sic quod iuncta illi Padeburnensis patria me et ecclesiam meam fortius perturbaret, indefessis capituli et patrie instanciis inclinatus tutoris officium sumpsi, rebus illius ecclesie et patrie publicis ac privatis sinceritate amica intendens, adversum enim eis ducem Wilhelmum, ut prefertur, eorum electum ex ferocissimo hoste placatum faciens.

<sup>1)</sup> unentzifferbar. <sup>2)</sup> Neue. <sup>3)</sup> sich befassen. <sup>4)</sup> Zusammensturz.



Pacem cum eo illis emi viginti trium millium precio florenorum de ere Coloniensis ecclesie exhausto vicinosque principes et dominos ecclesie et patrie Padeburnensi molestos, qui fines eorum depopulabantur, iugiter muneribus et donis permaximis ac federibus strictioribus adeo michi deiunxi, quod ab eo tempore optima et secura pace frueretur, nisi quod ipsi sepe pactis infectis<sup>1)</sup> illam sponte infringunt, quam semper laboribus et impensis per me et meos reintegrare oportet. Interea, postquam ingenio et solercia mea adversancia singularia pactata fuissent, videns capitulum prelibatum multo proficere, quod me tutore pace optima potiretur, dubitans, ne per novi provisionem antistitis ab illa rebus mutatis discederet, per multa temporis intervalla me simul cum opidanis et militaribus accuratissime propulsavit, ut darem consensum, quod per pontificem maximum, tunc Johannem XXIII<sup>um</sup> illa michi ecclesia ex tutore administratorio titulo traderetur ad vitam. Cumque id per speciales nuncios suos capitulum predictum assenciente patria impetrasset, michi non roganti, non satagenti, non operam danti administrationis predictae bullas allatas per suos alacriter traderunt et [me]<sup>2)</sup> exercitui pro patria eorum tuenda presidentem, deductum obviis crucibus et sacris reliquiis cum gaudio et iubilo, iuramenta obediencie et fidelitatis prestantes, a quibus milicia et patria nullo modo discesserat, tamquam patrem patrie in pastorem et dominum receperunt. Tanta quoque voluptate unusquisque status reffectus est propter habundanciam pacis, que eis cottidie concrecebat, quod, unionem illam, quam cum Coloniensi ecclesia ad vitam meam contraxerant brevi spacio vite hominis, deficere<sup>3)</sup> ambigentes, firmum

<sup>1)</sup> giftig, verderblich. <sup>2)</sup> ergänzt. <sup>3)</sup> brechen, aufheben.



tractatum facerent et consensum darent per literas capituli sigillo munitas manendi apud Coloniensem ecclesiam uniti et firmi ab obitu meo annis centum complendis absque episcopo proprio, optantes, hoc apostolica vel concilii Constanciensis auctoritate firmari. Dicebant enim aterco,<sup>1)</sup> eis impossibile fore, proprium sustentare episcopum alodiis destructis et munimentis episcopalis mense aut deperditis aut pignoribus permaximis obligatis. Que si redimerentur in integrum, non maneret episcopo pro sumptibus ad numerum sex florenorum annuatim. Unde oporteret, eum egestate fore mendicum, nisi vellet subditorum et vicinorum rapinis assistere;<sup>2)</sup> unde tam fructuosa pax facile posset infringi.

Et hec omnia ipsi Johanni, tunc Romano pontifici ac sacro demum Constanciensi concilio ac invictissimo principi, domino meo graciousissimo, imperatori moderno, tunc Romanorum regi, per capituli literas apertissime profitentes, per suos instanter orarunt, quatenus me administratore, ut scribitur, potirentur. Neque quidem tempore mei introitus ad administracionem predictam castrum erat aut municipium aliquod episcopalis mense, quod non foret super denario uno in quindecim denariis pignoribus obligatum. Ulterius, ut mea ad eos pietas magis claresceret, octo milia florenorum de camera archiepiscopali exposita manualiter tradidi capitulo memorato, antiquum debitum quitando, quo olim mea illi tenebatur ecclesia, pollicentibus eis litteris et sigillis sub iure iurando, dictam summam solum ad redemptionem bonorum episcopalis mense vel partis ipsorum exponere, licet demum iuramenti immemores in proprios illos usus vertissent. Nec hoc tacere libet, quod pro

<sup>1)</sup> wahrscheinlich für a tergo, hinterrücks, heimlich. <sup>2)</sup> Die Handschrift hat assistere.



reysis et expedicionibus multiplicibus et armatorum stipendiis, sine quorum potencia patriam curare non poteram, summam ultra triginta milium florenorum premissis exceptis de camera ecclesie Coloniensis ad capituli instancias expendidi, voventes litteris et sigillis, se summam predictam ecclesie mee fideliter et integraliter soluturos. Cuius promissionis gracia, quia ego castrorum capitaneis et custodibus iuramento eis dari sueto iuxta consuetudinem Padeburnensis ecclesie de non resignando fortalicis de manu ecclesie Coloniensis nisi debito prius illi soluto addidi, accusor, veluti illicitorum et insuetorum iuramentorum predictis officialibus adinventor.

Ad hoc, reverendi patres, me fides ecclesie mee promissa coegit, ne ipsius retento thesauro conspiratores me a patria propulissent. Inpingunt mihi, reverendissimi patres, pretensis querelis, quod Padeburnensem ecclesiam incorporari perpetuo Coloniensi ecclesie impetraverim, quod est pocius ad ipsorum acta preterita retorquenda. Felicis enim memorie Martinus papa quintus examinato diligentius ecclesie statu et viso, quod non solum posset ammodo<sup>1)</sup> cum honestate sustentare episcopum ac quod debitis Coloniensis ecclesie difficulcius satisfaceret, et intellecto capituli et patrie voto de stando apud Coloniensem ecclesiam annis centum, providit prudenter et decrevit sagaciter, melius fore, dictam ecclesiam Padeburnensem Coloniensi uniri et incorporari, quam centum annorum curriculo ministrari. Tollebat enim inde statum ambiguum ecclesie memorate et illam forciori capiti adiungebat, ut sic paci eiusdem perpetue provideret. Incorporacionem illam, reverendissimi patres, digeste et mature summus pontifex declaravit, milicia et opida et barones, prelati et de clero pars sanior Padeburnensis

<sup>1)</sup> ferner.



ecclesie per suas litteras acceptarunt, serenissimus dominus meus imperator illi adhesit et regalia michi et ecclesie Coloniensi concessit. Per veram et realem possessionem dicta incorporacio suum est sortita effectum; nec sub clausula generali revocatoria per dominum Eugenium papam facta intelligitur annullata. Quod si quorundam presumpcio,<sup>1)</sup> qui nomine capituli Padeburnensis callide pacem illius ecclesie perturbare intuentur, incorporacionem predictam moleste sufferat, nichil, patres amplissimi, profecto quam iusticia, quam pax, quam honestas rei publice illos ad iracundiam concitarunt. Priscos enim antistites, quos captivare maximisque dare conviciis assuebant, potencia debiles nulla obediencia venerantes, quorum similes habere affectant ad illicita, procurabant, ut communis foret clerico et laico galea, [ut]<sup>2)</sup> rapina et homicidio pollutam gestare tonsuram liceret. Que quia detestatus ad religionis illos metas conabar adducere, coram vestro sacratissimo cetu virtutem ac mei famam honoris deturbare procurant.

Idcirco vestram sacratissimam concionem deploro humiliter, filialiter et devote, quatenus super premissis et omnibus statum meum et ecclesie mee concernentibus honorabilem Albertum Varentrap, officialem Coloniensem, decretorum, Henricum de Erpel, sancti Severini Coloniensis, legum, Tilmannum de Lynss, sancti Florini Confluencie prepositum, decretorum doctores et strenuos ac nobiles viros Roilmannum de Dadenberg, militem, ac Johannem de Gynenberg, dominum in Landzkroen, ambassiatores et consiliarios meos Basilee existentes benigne et favorabiliter audire dignemini, scriptis et actis sanctam synodum informaturos, suppliciter depre-

<sup>1)</sup> Vermessenheit, Hoffart. <sup>2)</sup> ergänzt.



cando, quatenus dignetur synodus sancta, me et Coloniensem ecclesiam nostris conservare in iuribus et auditis et examinatis per eos propositis litigiorum obclusis ambagibus adversariis silentium imperare ac ad obediendum sancte Romane ecclesie institutis et michi inducere. Difficile enim nobiles et milicia Coloniensis ecclesie, qui pro reformando Paderbornensem ecclesiam vitam exposuere et bona, iam rebus integris ere exposito et iure ecclesie privarentur; unde possent acerbiora scandala et discordie imminere.

Valeat vestra sacratissima congregacio, cui me et ecclesiam meam filialem recommendo.

Datum in castro meo Poppilstorp, mensis Maii die quinta, meo sub sigillo.

Supplicatio pro episcopi provisione ad ecclesiam Paderbornensem sacro concilio Basiliensi oblata anno ect. XXXIIII.<sup>1)</sup>

Reverendissimi patres et domini de concilio! Quidam Theodericus, archiepiscopus Coloniensis, cum consensu capituli Paderbornensis vasallorum et aliorum, quorum consensus merito erat requirendus, ecclesiam Paderbornensem ad annos decem iuxta litterarum desuper confectarum tenorem de anno Domini MCCCCXIII, die beati Mauricii, titulo tutorio obtinuit possidere et a tali tutela nondum anno elapso recessit et a beatissimo Johanne papa, eodem in fuga constituto et sibi obedientia subtracta obtinuit ad vitam suam sibi commendari sub dato Idus Aprilis, sui pontificatus anno quinto, ut in litteris desuper extractis plenius continetur, et ratione quarum taliter est admissus, tentus et reputatus, se tenebat, reputabat, dixit et scripsit. Idem tamen hiis non

<sup>1)</sup> Der Fassung nach scheint es nur ein Entwurf zu sein.



contentus, secreta et cameraliter a beatissimo domino nostro Martino pontificatus sui anno XIII. sine consensu cardinalium, imperatoris, domini Moguntini, capituli, vasallorum et subditorum ecclesie Paderbornensis, de quorum preiudicio exstiterat, eandem ecclesiam Paderbornensem fecit<sup>1)</sup> ecclesie sue Coloniensi uniri et incorporari, quam sibi ab eodem obtinuerat et tenuerat et possidere disposuerat debite incorporatam, suo iuramento, sponsionibus, obligacionibus et promissionibus solemniter tempore sue intronisationis factis non obstantibus, tytulum solitum administratoris relinquens, talem non scribens nec utendo, ut usque ad tempus dicte unionis facte fecerat et consuevit. Per que dicta Paderbornensis ecclesia, vasalli, civitates et subditi eiusdem ecclesie per eundem silenter suis privilegiis, iuribus, statutis et consuetudinibus spoliuntur et denudati demum permanserunt, sic quod illis causantibus dicta ecclesia Paderbornensis de iure sedi apostolice exstat reservata, et quod vos venerabiles patres autoritate universalis ecclesie tenemini, dicte ecclesie de pastore utili providere.

Supplicant propterea vestri devoti oratores, prepositus, decanus et capitulum eiusdem ecclesie, quatenus vos patres reverendissimi dignemini, ipsis de pastore propter periculum animarum imminens mora cessante providere.

Responsio capituli Paderbornensis super litteram per dominum Coloniensem concilio Basiliensi scriptam, ista vero ad informandum populum.

Ju allen ebden, prelaten, prioren, provesten, moniken, canoniken, pastoren, beleynden presteren unde umbeleynden, anderen geystliken luden, rytteren unde

62.

1434.

Ohne Monatsdatum.

<sup>1)</sup> Der Sinn und die Construction des Satzes fordern „obtinueit“.

Stolte, Liber dissenci.